



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

De Confirmatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

quicquid antè commisit, quanta maxima potest, (nam digna profecto non potest) satisfactione recompenset.

DE CONFIRMATIONE.



Confirmationem adeò non recipit pro sacramento, ut etiam mirari se dicat, quid ecclesiæ in mentè venerit, ut confirmationè faceret sacramentū; & in re tam sacra ludit & nugatur homo nugacissimus, quærens cur non ex pane quoque faciant sacramenta tria, quum ansas quasdam habeant ex scripturis. Ideo non facit ecclesia, quia non apprehendit ansam ex qualibuscunque scripturæ verbis alia condendi sacramenta, quàm quæ Christus instituit, & suo sanctificavit sanguine: quemadmodum e diverso nullum eorū omittit, quæ a Christo & Apostolis per man^u deinceps tradita sunt, etiam si nusquã quicquã de eis scriberetur. Nam quod ait confirmationè nullam operari salutē, nulla fulciri promissione Christi, hoc dicit tantum, neque probat quicquã: duntaxat negat omnia. At quum loca quædam Lutherus ipse commemo-

Lutheri nugacitas.

*Luthe. per-
petuus mor*

rat, è quibus (quanquam id Lutherus irridet) habere non absurde potuerit sacramentum confirmationis initium, cur tam malignè de tota iudicat ecclesia, quasi temere sacramentum suscipiat, propterea quòd in illis locis nullum legit verbum promissionis? quasi nihil omnino promiserit, dixerit, fecerit Christus, quod non complectantur euangelistæ. Hac ratione, si tatum Ioannis extaret euangelium, negaret institutionem sacramenti in cœna domini, de qua institutione nihil omnino perscribit Ioannes, qui eodè dei consilio non tetigit istud, quo multa alia præterierunt omnes quæ fecit Iesus, quæ (vt inquit euangelista) non sunt scripta in libro hoc, & quæ totus mundus non posset capere. Ex quibus nonnulla per Apostolorum ora fidelibus patefacta sunt, & perpetua deinceps ecclesiæ catholicæ fide conseruata. Cui quare nõ debeas de quibusdam credere quanquam non legantur in euangeliis, quum (vt Augustinus ait) nisi tradente ecclesia scire nõ posses quæ sint euangelia? Quorum si nullum vnquã scriptum esset, maneret tamen euangeliũ scriptum in cordibus fidelium, quod an-

Efficax ratio aduersus Lutherum quòd recipi oporteat etiam quæ nusquã sunt scripta. Ioan ultimo.

si quis fuit omnium euangelistarum co-
 dicibus: manerent sacramenta, quæ & ipsa
 non dubito euangelistarum libris esse om-
 nibus antiquiora: ne putet Lutherus ef-
 ficax argumētū esse frustra suscepti sacra-
 menti, si nō reperit institutū in euāgeliiis.
 Alioqui si nihil omnino recipiat, quod
 non tam aperte legat in euangelio, vt ter-
 giuerfandi nō sit locus, quomodo credit
 (si modò credit, qui ferè nihil credit) per-
 petuam Mariæ uirginitatem? De qua a-
 deo nihil inuenit in scripturis, vt Helui-
 dius non aliunde, quàm ex scripturarum
 uerbis arripuerit ansam decernendi con-
 trarium. Nec aliud opponitur illi, quàm
 totius ecclesiæ fides, quæ nusquam maior
 est aut fortior quàm in sacramentis. Ego
 certe neminē esse puto, qui scintillā vllā
 habeat fidei, cui persuaderi possit, quòd
 Christus qui pro Petro orauit ne fides
 eius deficeret, qui ecclesiam suā supra fir-
 mam petram collocauit, pateretur eā tot
 seculis vniuersam, corporaliū rerū signis
 inanibus erronea fiducia velut diuinis sa-
 cramētis obstringi. Si nusquam inde quic-
 quam legeretur, illi tamen verbo mētem
 domini poterant enarrasse, qui præsentis

*Et hic loc^{us}
 fortiter præ-
 mit Luthe-
 rū vt uene-
 retur eccle-
 siæ traditio-
 nes non ser-
 ptas.*

*Luce. 22.
 Matthei. 7.*

Ioānis. 15. versati sunt cum eo, de quibus ait ipse:
Vos testes estis, qui mecum ab initio fui-
stis. Docere poterat quid debebat fieri,
paracletus ipse, de quo dixit Christus:

Eodem.

Quum autē venerit paracletus, quē ego
mittam vobis a patre meo, spiritus verita-
tis, qui a patre procedit, ille testimonium

Ioānis. 16.

perhibebit de me. Et rursus, Quum vene-
rit ille, qui est spiritus veritatis, ducet vos
in omnem veritatem. non enim loquetur
à semetipso, sed quaecumque audierit lo-
quetur, & quæ futura sunt, annuntiabit
vobis. Ecclesia ergo quum tot & tales ha-
buerit præceptores, tot viros Euangeli-
stas, & spiritum illum qui veritatem in-
spirat, credetur temere instituisse sacramē-
tum, & spem in signo collocare nihil?

Non credetur potius ab Apostolis, non
credetur potius à spiritu sancto didicisse?

Certe si quis nomen huius sacramenti, si-
quis ministrum, si quis virtutem quā spon-
det æstimet, videbit rem non esse talem,
quam temere credatur ecclesia suscepisse.

*Hugo de
sancto Vi-
ctore.*

A chrismate enim, ut inquit Hugo de san-
cto Victore, Christus dicitur, a Christo
Christianus: cuius ex quo nomen omnes
cōmunicare ceperūt, omnes vñctionē ac-

cipere debuerunt: quia in Christo omnes
 electum genus sumus, & regale sacerdo-
 tiū. Nec unquam, excepta necessitate, ni-
 si per episcopos, ut Christianum confi-
 gment, & spiritū paraclētū tradant, quem
 admodum idem ait Hugo, sicut in primi-
 tiua ecclesia spiritum sanctū per imposi-
 tionē manū d'indi, soli apostoli potesta-
 tem habuisse leguntur. Fructum quoque
 sacramenti idem doctor declarat. Sicut
 (inquit) in baptismo remissio peccatorū
 accipitur, ita per manus impositionē spi-
 ritus paraclētus datur. Illic gratia tribui-
 tur ad remissionē peccatorum, hic gratia
 datur ad confirmationē. Quid autem pro-
 dest si a lapsu erigoris, nisi ad standū con-
 firmeris? Haec Hugo. Cui recta quo-
 que consentit ratio. Quemadmodū enim
 in vita corporali, praeter generationē, per
 quam vitam consequimur, alia requiritur
 actio, per quam & crescimus, & ad perfe-
 ctionem virtutis perducimur: ita in spiri-
 tali vita quae per generationē baptismatis
 acquiritur, opus est sacramento confirma-
 tionis, per quam vita spiritalis ad perfe-
 ctam virtutem perducitur, & spiritus san-
 ctus datur ad perfectum robur. Et praeter

*De consecra-
 tione. d. s. t.
 De his.*

*In actis a-
 postolicis.*

*Fructus sa-
 cramenti cō-
 firmatiōis.*

*Ratio insti-
 tuti sacra-
 menti con-
 firmatiōis.*

sacramentum baptismi; quod adiuuat ad credendum, confirmatio prodest in adiutorium fortitudinis ad audacter confitendum. Ad hoc enim ordinatur, ut homo coram persecutore fidem confiteatur audacter. Et hoc est quod ait Melchiades, In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. Nam confirmatio ad huius mundi agones armat & instruit.

De cōsecratione di. 5. Spiritus sancti.

Denique ut Lutherus intelligat hoc sacramentum neque nouum esse neque inane signum, sed a deo non vacare gratia, ut spiritu etiam gratiae conferat ac veritatis, afferimus in

Aduersus Luciferianos.

mediū quid beatus Hieronymus de confirmationis sacramento scripserit. Ait enim: Episcopus si imponit manū, his imponit, qui recta fide baptizati sunt, qui in patre & filio & spiritu sancto tres personas & vnā substantiam crediderunt. Arrianus vero quum nihil aliud crediderit (claudite quæso aures qui audituri estis, ne tante impietatis vocibus polluamini) nisi in patre solo vero deo, & in Iesu Christo saluatore creatura, & in spiritu sancto vtriusque seruo, quomodo spiritum sanctum ab ecclesia recipiet, qui necdum remissio-

nem peccatorū consequutus est? Spiritus
quippe sanctus nisi mundam fidem non
incolit, nec habitator eius tēpli efficitur,
quod antistitem non habet veram fidem.

Quòd si hoc loco quæras, quare in eccle-
sia baptizatus, nisi per manus episcopi nō
accipiat spiritum sanctum, disce hanc ob-
servationem ex ea autoritate descende-
re, quòd post ascensum domini, spiritus
sanctus ad apostolos descendit, & multis
in locis idem factitatum reperimus. Hac-
tenus Hieronymus. Cuius sententiæ cū
alia multa scripturæ loca subscribūt, tum
ille multo clarissimè, qui in Actis Apo-
stolorum declarat, quòd populus qui an-
te baptizatus est in Samaria, descendentibus
ad eos Petro ac Ioanne, ac manus eis
imponentibus, accepit spiritum sanctum.
Demiror igitur, quid in mentem Luthe-
ro venerit, vt confirmationem pro ritu
tantum ac cæremonia contendat haben-
dam, pro sacramento verò neget: quæ nō
solum sanctorum testimonio doctorum,
& totius ecclesiæ fide, sed etiā sacræ scri-
pturæ clarissimis locis ostenditur, visibi-
li signo manus pontificiæ non gratiā tan-
tū, sed & ipsum gratiæ spiritū conferre.

*Cur soli E-
piscopi ba-
ptizatis
manus im-
ponunt ut
accipiat spi-
ritum sanctum.*

Act. 8.

Act. 19.

Act. 13.

Desinat ergo Lutherus confirmationis sacramentum contemnere, quod minister dignitas, ecclesiae auctoritas, & ipsius sacramenti commendat utilitas.

DE SACRAMENTO
MATRIMONII.

Matrimonium, sacramentorum omnium primū, inter primos homines celebratum, primo Christi miraculo honestatum, quod propter sacramenti nomen ipsum, tam diu, tam religiose cultum est, Lutherus nunc demum, ne conjugalem fidem tanti quaequam putet in posterum, negat esse sacramentum ullum: & cum alia sacramenta sic sustulerit, ut in vno negaret institutum signum, in alio negaret promissam gratiam, in matrimonio negat utrumque. Nam negat usquam promissam esse gratiam. Negat usquam institutum esse pro signo. Unde haec nouit? Quia non legitur, inquit. O rationem fortem, & multarum haeresum parentē. Ex hoc fonte uenenū hausit Heluidius. Nullū sacramentum admittis, cuius institutionē nō legi in libro? Quem librū vnquā scripsit ille

Ratio Lutheri.

Heluidius.